

postmodum filia ueniebat ad regem in una cocta corij cerui multum ornata. Et tunc ueniebat domicellus similiter in cocta corij. conuentio talis erat uidelicet quod si domicellus ipsam posset deuincere ita quod faceret ipsam in terram cadere propter uires suas ipsam in uxorem habebit. Et si filia regis deuinceret domicellum debebat habere centum equos ab ipso uel plures secundum quod iuuenis proferebat. Et per hunc modum fuerat domicella lucrata pignora quam plura. ymo diuulgabatur quod lucrata fuerat plura decem milibus equorum nec inuenerat aliquem qui eam deuincere ualisset|

Et hoc non erat mirabile|

Et hoc non erat mirabile/ quia de suis membris erat tam <sup>112r°</sup> bene disposita. & de suo corpore tam magna/ quod uidebatur quasi gigans. Accidit enim quod filius cuiusdam diuitis regis qui multum erat pulcher & Juuenis. uenit cum pulcra societate/ & secum duxit mille equos ualde pulcros causa experiendi domicelam. Et cum filius istius regis illuc uenisset dixit quod se uolebat cum domicella experiri. de quo rex caydu ualde fuit gauisus quia libenter uoluisset/ quod habuisset suam filiam in uxorem. quia sciebat quod filius regis erat. Et rex Caydu dicere fecit filie sue clam quod se uincere dimiteret. set filia dixit quod hoc non faceret aliqua causa mundi. quadam uero die rex cum regina simul fuerunt. Et multi homines & mulieres in salla magni tentorij. & uiderunt filiam regis caydu. & filium alterius regis qui erant tam pulcri/ quod erat mirabile ad uidendum. Iste quidem domicellus erat tam [fortis] & potens/ quod nullum inueniebat qui contra ipsum posset uiribus sustinere Et cum domicellus & domicella fuerunt in sala ubi erat tanta gentium multitudo prout superius dictum est. conuentio facta fuit/ quod si domicellus uinceretur deberet amittere mille equos quos secum duxerat ob istam experientiam. Post hec domicellus & domicella inuicem se ceperant. & omnes qui hoc uidebant dicebant| quod uolebant ut <sup>112v°</sup> domicellus obtineret ad hoc ut esset uir filie regis. & hoc idem rex & regina mirabiliter affectabant. Et postquam duo predicti inuicem capti fuerunt unus atrahit hac altera illac. set taliter accidit quod filia regis ipsum deuicit. & eum ad terram deiecit. Taliter uero filius regis fuit deuictus. & predictos mille equos amisit. de quo omnes astantes mesti fuerunt. Rex caydu duxit istam filiam suam que filium regis deuicit in multa prelia & in toto prelio nemo erat qui plus ipsa ualeret Et quam pluries ista domicella ibat inter inimicos & capiebat unum militem suis uiribus quem ad suas gentes ferrebat. Et hoc pluries accidit. Nunc de ista filia regis caydu diximus & de ipsa amodo dimitentes ulterius procedemus & de quodam magno bello narabimus quod fuit inter regem caydu & argonem filium abaga/ dominum uidelicet leuantis secundum quod poteritis audire :/ hic naratur qualiter abaga mitit Argonem in exercitum